

queri, ingemere, desciscere est. Quid est praecipuum? Animus
 contra calamitates fortis et contumax, luxuriae non adversus
 tantum, sed et infestus: nec avidus periculi, nec fugax, qui
 sciat fortunam non expectare, sed facere: et adversus utram-
 que intrepidus inconfususque prodire, nec illius tumultu, nec
 hujus fulgore percussus. Quid est praecipuum? Non admittere
 in animum mala consilia, puras ad coelum manus tollere:
 nullum petere bonum, quod ut ad te transeat, aliquis dare
 debet, aliquis amittere: optare, quod sine adversario optatur,
 bonam mentem: cetera magno aestimata mortalibus, etiam si
 quis domum casus attulerit, sic intueri, quasi exitura, qua
 venerint. Quid est praecipuum? Altos supra fortuita spiritus
 attollere: hominis meminisse, ut, sive felix eris, scias hoc
 non futurum diu; sive infelix, scias hoc te non esse, si non
 putes. Quid est praecipuum? in primis labris animam habere.
 Haec res efficit non e jure Quiritium liberum, sed e jure
 naturae. Liber autem est, qui servitutem effugit sui. Haec
 est assidua servitus et ineluctabilis, et per diem ac noctem
 aequaliter premens, sine intervallo, sine com meatu. Sibi servire,
 gravissima servitus est: quam discutere facile est, si desieris
 multa te poscere, si desieris tibi referre mercedem, si ante
 oculos et naturam tuam posueris et aetatem, licet prima sit;
 ac tibi ipse dixeris: Quid insanio? quid anhelō? quid sudo?
 quid terram verso? quid forum viso? Nec multo opus est,
 nec diu. Ad hoc proderit nobis inspicere rerum naturam:
 primo discedemus a sordidis, deinde animum ipsum, quo
 magno summoque opus est, seducemus a corpore. Deinde
 in occultis exercitata subtilitas, non erit in aperto deterior.
 Nihil autem est apertius his salutaribus, quae contra ne-
 quitiam nostram furoremque discuntur, quae damnamus, nec
 ponimus.